

Letter 159: 21 May 1523, Mainz, Caspar Hedio to Capito

The text of the manuscript in the Universitätsbibliothek Basel (G2 I 37, fol. 22) has been published by Krafft, 52-53.

S. Completa est domini voluntas in Francisco. Desperatae multis videntur res nobilium, duce hoc interempto, et desertis tot arcibus, ut putabantur adamantinis. Infelix qui ponit carnem brachium suum. Alia praesidia decent evangelium. Pronum non est, quod gloriantur inimici crucis Christi, in spongiam decidisse universam evangelii doctrinam, interiisse professores novae, ut vocant,
5 doctrinae, etiam ut cum Tertulliano respondeam istis, *cui bello erimus inidonei, etiam impares copiiis, qui iam¹ libenter trucidabimur, si opus sit, pro gloria Christi*. Carnatius ante quadriduum liberatus est e carcere, in quo detentus fuerat IIII hebdomadas, peritior, quatenus attinet ad cognitionem Christi, sexcentis oleatis, proscriptus in diocesi perpetuo, si recte accepi
10 dexterrimam iuris gladii functionem et oculatissimam, quae et muscas² cernit praeter aquilarum morem. *Qui comedunt carnem populi mei et ossa confringunt velut in lebete tosturi* [gr.] anamarteton aisan. Ferunt Episcopum Spirensem et Dietherum Dalburgium electos, ut inter principes et Suickgerum³ Sickingerum rem componant. Franciscus Conradus iunior filius cum Baldassaro abiit, incertum quo. Sententia inter Comitem Nassaw et Hessum lata est, Hesus cedet propemodum mediam partem regni.

15 Nesenus e Wittenberga hodie scribit in haec verba: De Capitone ne sis sollicitus. Cavi pulchre apud Lutherum, ne quid horum fiat, quod tu metuebas etc. Foedus Suevicum colligit exercitum in Dinkelspiel, abeunt multi ex nostris, putant perditurum et arces Franconum. Doleo infelicem Hartmu[n]dum, cui nulla spes reditus in Cronbergum, nisi forte per imperatorem sit aliqua, quem tamen scriptis forsitan abalienavit, aut per comitem de Nassaw. Cantor templi nostri
20 admodum desyderat presentiam tuam, quam divinatur ex literis nuper scriptis ad Rev. Argent. et capitulum divi Thomae, desyderat autem, vel⁴ mei causa. Nescio quid rursus peccatum sit per miserum Hedionem, et quale sit consilium [Heb.] dw'yq.⁵ Tu, quod dominus iusserit, fac, et quod publicae utilitati videatur commodum; de me levis iactura. Reliqua quae Coloniae et alibi Rhodius noster referet. Eberbachius te salutatur, vel⁶ dama timidior, quoties scribendae literae ad
25 amicos. Ego multis vitiis exupero impudentiam.

Raptim Moguntiae. 1523, 21 Maii.

Tuus Hedio.

¹ Corr. Krafft's 'tam'; ms: iam

² Corr. Krafft's 'muscas'; ms: muscas

³ Corr. Krafft's 'Sinckerum'; ms: Suickerum

⁴ Corr. Krafft's 'ut'; ms: vel

⁵ dowe'iyq in ms.

⁶ Corr. Krafft's 'ut'; ms: vel